

III.

NEOVIDENSIS

Nro 42. (*Neovidensis Nro 65.*)

Secretum litterarum commercium vivos
inter ac mortuos.

ÆSOPOPHRYGIO
E mundo superiore.

Ælysiūm -- Meūm. -- Die Veneris 24. Aug. 1804. (Neov. 10. Aug)

Diu, multumque illa quæstio cerebrum divexat meum, *quidnam in hoc sæculo, imperarene, an obtemperare foret præstabilius?* Et ad quem his in angustiis me, quam ad te convertam *Æsopè sapientissime utilius?* qui vitæ socialis moralitatem tam bellis expressisti symbolis, tuæ ut usque in hodiernum diem fabel læ primum præmium retulerint.

Binis his certe tota vita nostrâ revolvitur cardinibus; nempe aut imperando, aut obtemperando: iisdem & cunctæ actiones nostræ circumaguntur adeo, ut omnis, qui hoc in mundo nixus illo ærumnoso caduceo seu lætus, sive tristis peregrinatur, imperet, aut obtemperet.

Utique sic quivis comparatus est, suam ut potestatem dilatare; quod idem est, atque amplius, & amplius imperare desideret. Inde ab aureo Throno usque ad lignea in tuguriis progrediare sedilia; ubique habenda

potestatis libidinem observaveris. Dignitates, Magistratus, Auctoritas, publica existimatio, altiora subsellia, denique jus fortioris illis comprehenduntur. Sed & reipsa imperare, & obtemperare in sociali mortalium ordine sanctissimum felicitatis vinculum putes: uti unus idem, qui imperat alii, alteri obtemperare cogitur; quisque autem imperare magis, quam obtemperare avert.

In exercitu Manipularius Decurionis; Decurio Centurionis; hic Tribuni; iste primi Præfecti; ultimus denique iste Summi Imperatoris gradum affectat. Similiter in Politicis Conclavibus Amanuensis cupit ad Secretarii, Secretarius ad Consilarii, iste ad Præsidis; ac demum iste ad primarii Ministri sedem eluctari. Horum quidem singuli, etiam dum obtemperant, imperant: & quævis conditio, ut simul semper obtemperat, exercet quamdam imperii portiunculam. In Patriarchica regiminis forma; seu quod idem putes, in singulis familiis pater est cum matre summus Princeps, ac Rector, liberos, domesticosque suos in obsequio continere obligatus.

Crederes fortasse solam inopiam nostram imperandi, aut obtemperandi necessitatem peperisse: at isthoc potius de animi nostri passionibus credas. Cœlestes genii — angelos vocamus — nil manducant; nil bibunt; nullius togæ indigent; nec ullo invicem vestium luxu decertant; nec denique aliquo in sedibus cœlestibus apparatu superbire gestiunt: obediunt tamen. Tale cœlum est in omni do-

mo
stici
rei f
tes.
bat,
sole
ides
nego
fueri
pert
mult
devo

cive
imbu
ranti
gicæ
prop
curr
si re
sine
ex in
que
nes
utiq
vissi
fran
muta
re v

obte
tion
siste

mo super terram, si Angeli sunt ipsi domestici; volo dicere, bonis moribus innutriti, rei familiaris negotia citra renitentiam curantes. Eorum quippe singuli, quid sibi incumbat, norunt: singuli partes officii sui cum solertia obeunt. Sed quid si cacodæmones, idest, desides; negligentes; cervicis duræ; ad negotia, ad fidem rixis, sudibusque urgendi fuerint? tum enimvero domestica nimis quam perturbate regitur œconomia: tunc imperans multum fatigiorum, multum inquietudinum devoret, oportet.

Næc aliter habet res in Republica; sint cives moribus bonis, religioneque ex asse imbuti; tum enimvero ibi omnia tam imperantia, quam obtemperantia membra horologicæ instar machinæ ordinate movebuntur; prope dixerim, mundus illic sponte sua decurrit. At si mores corrupti sunt civium; si religio, quæ proprie obsequium, tamquam sincerum, spontaneum ac efficax adimplendæ ex integro Divinæ voluntatis studium; tamque internas, quam externas hominum actiones docet ad legem exigere, diffluat: tum utique & regere, & imperare omni erit gravissimo gravius onere. Passiones animorum fræna excutiunt; homines in tygrides commutantur: væ autem, qui tygridibus jura dare volet!

Considerationibus his præmissis dico, obtemperare esse principem civium obligationem; sine qua nullum Regnum, nulla consistet respublica. Qui unam coiverunt in so-

cietatem homines, atque uni supremæ, seu executivæ colla submisere potestati, nequeunt semet absoluto, perfectoque ab obsequio eximere. Abdicaverunt enim semet, quantum ad communem spectat prosperitatem, proprii luminibus ingenii; idcirco isthoc exuere obsequium ne in casibus quidem illis integrum putent, dum ipsum videtur bono Republicæ adversari: neque sibi jus adesse, ad arcana Principis motiva in complexo rimanda; aut sua desuper judicia promenda; certo persuasi, nil ultra sibi reliquum esse, quam honorem obtemperandi; modestasque remonstraciones faciendi facultatem. Neque aliud de illis ipsis regiminis formis propugno, quæ seu per constitutionum suarum principia, si ve per ordinum privilegia limitatæ putantur; eo, quod subjectis nullum jus in casibus ambiguis adhæreat, suorum acta facta Principum in examen revocandi. Quum autem scopus subjectionis unice connexionem civilem, temporalemque prosperitatem pro fundamento habeat; vinculum societatis hujus resolvitur, ut primum quid Princeps in obversum communis prosperitatis molitur. Super quo tamen singulis cognoscere neutiquam competit, aut judicium ferre; sed pati potius, quam universam civitatem in perturbationem, aut plane in exitium præcipitare.

Itaque imperare ac regere, nihil minus, quam acile negotium est: nihil vero facilius, quam obtemperare. Splendor quidem, ac dignitas imperantis emicat cum quadam fortunæ specie; quam alii vident, exoptant alii. At si curas ponderaveris;

perpe
tinuo
mord
djuq
tæ!
cibos
pit;
spici
ris a
denic
impe
uno

eum
habe
que
Magi
fere
tur,
rum
impe
licitu
labor
repra
ties a
ceo,
mihi
bedic
perat
esse

Olym
rio.
mord
cat a
cum
per

perpenderis inquietudines, agglomerata negotia, continuo intensas mentis facultates; quam enimvero mordacia tormenta sedent a tergo Potestati, noctu diuque infestatae; & non nisi raro admodum quietae! cum ex adverso, obtemperans peracto labore cibos, potumque suum cum quadam voluptate capit; lecto tranquillus incubat; nullis curis, aut suspicionibus agitur; sequente diluculo rursum hilaris ad obtemperandum, peragendos labores, ad sua denique emolumenta expergiscitur. Ecce, quam imperans pro omnibus; obtemperans autem pro se uno fatigatur!

Ex his omnibus, optime Aesope, concludo, eum esse quam fortunatissimum, qui quod imperet, habet minimum. Amo Titulos, amo Insignia; atque veneror etiam: Splendorem, Dignitates, ac Magistratus absque invidia considero; nam, quod fere semper sub splendore curarum vermibus pascat, observo. Caput humilio coram Principibus, eorum Ministris, Belliducibus, armorum Praefectis: imperent licet; ego obtemperabo. Cum autem sollicitudines, commotiones, iram & indignationem, labores denique ac tædia imperantium coram mihi represento; toties fere animo delinquo meo, quoties a servitore meo — unica hæc est, quam exerceo, imperandi potestas — calicem aquæ frigidæ mihi porrigi jubeo. Ipsa tuæ vitæ ratio, Aesope obedientissime, satis docet, obtemperare, quam imperare præstabilius esse: atque ideo plane me tuum esse — obsequentissimum servum puta; & vale.

Biographia.

Aesopus Phrygius vixit Solonis ætate circa 50 Olympiadem sub Cræsi Lydiæ postremi Regis Imperio. Qui eum in ortu, vitæ decursu, atque ipsa morte infortunatum appellat S. Hieronymus; provocat ad vultus deformitatem; servitutem, ad tragicum denique occasum: mens tamen ejus eximia semper eum omnia docebat superare adversa. Ut enim

suae servitutis onera emolliret, illas doctrinae, ac salium plenas fabulas compilavit; quae sibi tantam famam pepererunt, ut passim credatur ipse Poëseos hujus generis fuisse inventor.

Postquam diversorum Dominorum imperia degustasset; mancipium enim natus est, in Xanthi demum Philosophi mancipatus est servitutem; ubi etiam praecipue sui animi dotes evolvere coepit. Forte enim accidit, ut Herus Xanthus rus petiturus ab Olitore causam rogaretur, cur, quas ipse tanta cum sollicitudine fovebat, plantae non tam laeto proficiant, quam quas tellus propria sponte produxerat, incremento? Philosophus omnia contentus ad Providentiam relegasse iter suum interim prosequeretur: Aesopus porro gressum remoratus, Olitori terram mulieri similem demonstravit; quae propriam sobolem nutrit majori cum favore, quam privignos; quorum noverca per secundas nuptias evaserat. Quippe, inquit, noverca est tellus omnium, quae arte violenta producuntur; mater vero genuina earum, quas ipsa producit plantarum.

Posthaec Jadmon Philosophus Aesopum mercatus est, & libertate donavit: qui liber mox per Graeciam tantam adeptus est famam, ut Croesus attentus ejusdem sapientia perquisitum in suam Aulam assumpserit. Regis in negotiis, an animi remissione quaesita dum peragraret Graeciam, Athenas Pisistrato summam auctoritatem usurpante pertransiit; cumque Cives male contentos jugo intellexisset, ranarum eis fabulam ab Jove Regem postulantium cantavit. Juxta reliquos Aesopus, ut ostenderet vitam hominis plenam esse miseriarum, fertur dixisse, Prometheum glebam, e qua formaturus erat hominem, lacrimis rigavisse: prout & caetera omnia, quibus ad erudiendos homines utebatur Phryx iste, sunt nimis fortunatae fictiones; utpote, quod ad plenam desideratur informationem, utile cum dulci miro artificio conjungentes.

Demum Delphos perlatus Aesopus cum magna, ut Plutarchus narrat, auri argenteque vi, Croesi nomine Apollini sacrificaturus; opulentasque incolis largitiones facturus. At

Quoniam eundem inter, & cives quædam intercesserunt discordiæ; ipse tam hostias, quam pecunias ad Croesam remisit, ea persuasione; quod quibus ista destinabantur a Principe munera, semet male dignos re diderint. Et exinte cives Delphici suscitata ei sacrilegii lite, quem convictum sunt mentiti, in mare de rupe præcipitem egerunt. Successu temporis tamen, quo manibus defuncti reconciliarentur, in eisdem sepulchro Pyramidem erexerunt.

Resolutio Problematis sub Nro 16. (Neovid. Nro 39.) vulgati.

Sit collata summa, & lucrum $= x$; adeoque solum collatum $= 21x$, lucrum autem solum $= 8x$:

$$\text{habebitur ergo æquatio } x^2 = \frac{29}{21}x + \frac{29}{21}7200 =$$

$$504588x + 208800; \text{ unde } x = \frac{29}{252294} + \sqrt{}$$

$$\left(\frac{29}{252294} + 208800 \right) = \frac{29}{252294} + \frac{29}{252306} = 17400$$

$$= \text{summæ collatæ, \& lucro trium Mercatorum: ideo } \frac{29}{21} \cdot 17400 = 12600 = \text{collato; \& } \frac{29}{8} \cdot 17400 = 4800$$

$$\frac{29}{29} = \text{lucro.}$$

Sit porro collata summa per A una cum lucro ejusdem $= y$; B collatum cum lucro $= z$; denique $C = 17400 - y - z$: hinc exsurgit æquatio $z(17400 - y - z) = 9240y$: unde $y = \frac{z + 9240}{17400z - z^2}$; &

sic habetur $z^2 = 9680y$. Hic substituatur valor y , & acquireretur $z^2 = 9680 \left(\frac{z + 9240}{17400z - z^2} \right)$ videlicet

$$z^3 + 18920z^2 = 168432000z; \text{ vel dividendo per } z: z^2 + 18920z = 168432000; \& z = \frac{9460 + \sqrt{}}{9460^2 + 168432000} = 6600 = \text{collato, ac lucro B. Porro } y = \frac{17400 \cdot 6600 - 6600^2}{6600 + 9240} = 4500, \text{ quod est}$$

$$\frac{6600 + 9240}{6600 + 9240}$$

collatum cum lucro Mercatoris A. Collatum vero, ad lucrum C = 17400 - 4500 - 6600 = 6300.

Jam ut explores, quantum fuerit singulorum collatum; sic operare: supponas lucratos $V\%$ pro Anno, & obtinebis inde sequentes tres Proportiones: $100 + 6V : 4500 = 100 : \frac{900000}{200+V}$ quod est

$$\text{collatum A. item } 100 + \frac{12}{12}V : 6600 = 100 : \frac{2640000}{400+3V}$$

quod est collatum B. denique $100 + V : 6300 = 100 : 630000$, quod contulit C. Jam nunc ergo hæc ha-

$$\text{betur æquatio } \frac{100+V}{200+V} + \frac{900000}{400+2V} + \frac{2640000}{630000} = 12600 : 100+V$$

$$\text{vel per } 600 \text{ dividendo } \frac{1500}{200+V} + \frac{4400}{400+3V} + \frac{1050}{100+V} = 21.$$

Si compendii gratia in hac æquatione substituas

$$V = 508, \text{ obtinebis per hoc } \frac{1500}{200+508} + \frac{4400}{400+1508} + \frac{1050}{100+508} = 21 : \text{ seu quod idem est } \frac{30}{4+8} + \frac{88}{8+38} + \frac{21}{2+8} = 21 : \text{ aut amovendo Fractiones: } 638^2 + 3058^2 + 1448 - 512 = 0.$$

Hinc patet ad oculum, esse $8 = 1$: nam $63 + 305 + 144 - 512 = 0$. Cum autem sit $8 = 1$; erit $V = 50$, quod est $\% \text{ pro Anno}$. Substitue hunc valorem in Præcedentibus Proportionibus, obtinebis $100 + 6.50 : 4500 = 100 : 3600 =$

$$\text{Collatum A. dein } 100 + \frac{12}{12} \cdot 50 : 6600 = 100 : 4800$$

$$\text{collatum B. Denique } 100 + 50 : 6300 = 100 : 4200 \\ \text{collatum C.}$$